



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas**

**Antverpiæ, M.D.C XXX III.**

S. Poppo C. 25. Ianuarii.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)



fidei donatur lumine. Hoc ille deinceps per omnes provincias circumferens tot gentibus accendit, ut rem mihi attentius consideranti unus quidem hodie cecidisse PAVLVS, ceterum surrexisse cum PAVLO totus orbis videatur. Ex *Act. Apost.*

S. POPPO C. 25 Ianuarii.

Videtur POPPO ad gloriam paternam bellicasque laudes ab ipso matris utero properasse. Etenim jam tunc latere respuens septimo statim mense in lucem, mox ubi per ætatem licuit, ad bellum prodiit. Pietatem tamen comitem secum traxit, & subinde ad vestigia Christi Ierosolymam, aliàs Romanam ad Principum Apostolorum limina inuisit. Redux, dum nuptias easque illustres cogitat, jamque ad has equo properat, cælesti luce se animumque atque adeo hastam etiam suam fulgere animadvertit. Inde omen auspiciunq; melioris militiæ capit, & sacramentum apud monachos dicit. Inter tyrociniã tempora eum fletu alios inundari, ipse pumex, videret; saxo è pectore fontem oculis statuit petere. quod factum postea tam abundè, ut pavimenta, & vestes sacrificantis fletu maderent, interque cœnulam plus videretur lacrimarum, quàm aquæ bibere. Magnatibus etiam familiaris pacem inter Conradum Imp.



& Henricum Regem sanxit. Venenum non semel innoxius bibit, illis morientibus, qui miscuerant. Pastorem à lupo laniatum vitæ, & gregi reddidit: dæmonem ludicrâ alapâ fugavit. Moritur denique cilicio incumbens, terramque matrê prono pectore deosculans. Mortuum sex dies odor mirissimus laudavit suavissimusque; tumularunt inter homines visi Angeli, sepulchrum verò ingentia miracula ornatunt. *Ex Surio.*

## B. HENRICVS SVSO C.

25. Ianuarii.

**H**ENRICVS SVSO Constantiæ in D. Dominici familiam adlectus simulque à IESV in adyta amoris inductus, IESV nomen pectori insculpsit ingeniosus cælator. Digitales erant literæ, quæque ad cordis motum, & ipsæ movebantur, ut cum hoc dudum conspirasse, idemque utrobique agi scires. Interea inter dolores deficientem alterum, & è cælo lapsum nomen IESV è cruce auro gemmisque rutilans recreavit. Et cur à Filio Mater abesset? **MARIAM** salutare ante solem gestiebat, tunc præsertim, cum idem facere Angelos audiisset, illis verbis, *stella MARIA maris hodie processit ad ortum*: quandoque etiam ad cantus illos focus admissus. Iam Kal. Ian. & Maij, quibus Suevia vel Xenii vel cantu certat, ille totos dies